



I, 16.



I, 16.

RECTOR  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
**GEORGIVS**  
**F R I D E R I C V S**  
**K R A V S D**

DIGESTI VETERIS PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIUS CVRIAEC PROVIN-  
CIALIS CONSISTORII ECCLESIASTICI  
SCABINATVS AC FACVLTATIS IVRI-  
DICAЕ ASSESSOR ITEMQUE ORDINIS  
IVRIDICI H. T. DECANVS

INSTITVTVM

IOANNIS CHRISTIANI BORMANNI,

BELGORA MISNICI S. S. TH. CVLATORIS

ORATORIS PVBLICE

MAIORI IN AVDTORIO

A. D. VI. ID. OCTOBR. A. S. R. CIO IOCCCLXV.

PRODITVRI

LEGI LIBERALITATIS THIELEMANNIANAE

VT SATISFACIAT,

**C I V I B V S**

COMMENDAT.

*Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen XXI. Saxoni-  
carum Originum XIII.*

**P**lurimum memoriae et gloriae rerum nostrarum  
refert, eius Theodorici, cui principis dignita-  
tem et nobilitatem nuper vindicauimus, origi-  
nem veram atque honores opesque idoneis  
**S**ex momentis cognoscere, quia ab ipso quum descen-  
dere Conradum Magnum Misniae Marchionem satis  
constet, quo minus tamen altius repeterent huius  
stirpis incunabula diligentissimi historiae Saxonicae  
indagatores, variis commentis virorum quorundam,  
satis quidem eruditorum, sed nimis saepe audacium,  
sunt deterriti. Vbi restitui nostris in terris littera-  
rum, et in his historiae etiam, studia coeperunt, ma-  
gno consensu scriptorum stirps Wettinensium ad Vi-  
dechindum, Saxonum Ducem, bello contra Caro-  
lum M. gesto clarum, relata est. Sed quum tunc  
pleraque vetustiora monumenta in bibliothecarum  
codicibus priuis et scriptis, non typographiae ope vul-  
gatis, seruarentur, qui iis usi fuerant, raro ea sub  
certis nominibus laudabant, vnde etiam in varias  
suspiciones incidebant, quoties aliquid vulgo ignoti  
prodidissent. Accidit hoc certe illis, quando genere  
tam illustri ortos nostros Principes prodiderunt.  
Dubitandi enim plerisque eorum lectoribus caussa  
inde data est, quod de rebus Videchindi post id tem-  
pus, quo in fidem Caroli venit, nulla amplius apud  
scriptores rerum Francicarum antiquiores mentio fit,  
nedum ut eius posteritas commemoretur. Sed, quum  
hi etiam in aliis, quae ad rerum externarum memo-  
riam

riam attinebant, satis negligenter se gesserint, et Sa-  
xoniae, ut alienae prius ex ruditate et ignorantia,  
postmodum imperio ad Germanos translati, ex in-  
uidia, an incuria, vix rationem habuerint, mirandum  
non est, quod rerum maximarum intra hanc con-  
versiones, constitutos principatus, sacerdotia, ma-  
gistratus, conditasque ciuitates, et iura data, silentio  
praeterierint. Itaque, qui praeter hos paucos bonos  
auctores habuerant, e quibus res maiorum cognos-  
cerent, de multis sine ratione dubitasse comperimus,  
ex quo non scriptores modo Saxonicos vetustissimos  
recuperauimus, in omnium usus publicatos; sed tan-  
to quoque veterum documentorum adparatu instru-  
eti instaurare memoriam eorum, quae obliuio dele-  
uerat, possumus. Naeti quidem illi, qui posterita-  
tem habuisse Videchindum negauerant, auctorem  
suae opinionis erant THEODORICVM NIEMIVM,  
qui de priuil. et iur. imp. (ap. Schard. p. 256.) scripsit,  
Videchindum non habuisse nisi *unicum filium illegiti-*  
*mum, qui obuiis legibus Saxonum patri succedere non*  
*potuerit;* vnde Carolus etiam alienigenas rectores  
Saxoniae in plura dominia diuisae imposuerit. Sed  
Theodoricum hunc, scriptorem nouitium, quis non  
decipi animaduertat, qui quidem legerit tot vetu-  
stos testes de stirpe Videchindi, e qua orta erat  
Matthildis, Henrici Aucupis coniux? Reliqua etiam,  
quae hic narrat, falsissima esse deprehendimus. Vi-  
dechindum enim, suscepta religione Christiana, du-  
cis honorem, a Carolo victore abolitum, non recu-  
perasse,

perasse, satis constat, quem a Ludouico demum Germanico recepisse Ludolphum e RHOSVITAE testimonio et DIPLOMATVM fide cognoscimus; sed patrimonium tamen ipsum conseruasse et ad posteros transmisisse, plurimis argumentis planissime confirmare possumus. Patrimonium autem vocare placet, dominia, quae vocabulo barbaro alodia dicuntur. Buddenfeldam certe in confiniis Hassiae Videchindum, et quidem cum potestate domini, retinuisse, testis est locuples ALTFRIDVS, (vit. Ludgeri l. III. §. 22. p. 97. 98.) vbi a Videchindo iam Christiano ibi quendam ob furtum caballorum suppicio fuisse affectum narrat. Ita per se credibile est, eidem certe non iniquiores conditiones esse impositas, quam reliquis Saxonibus, foedere Salzensi, A. C. 10CCCIII. ob suscepta Christi sacra concessae fuerant, quum iure et honore Francis per omnia aequati sunt, quatenus in religione persisterent, ut auctores sunt EGINHARDVS, (vit. Car. M. p. 436. ed. Freh.) POETA SAXO, (h. an. p. 28. ed. Schilt.) VIDECHINDVS CORB., (l. l. Annal. p. 8. ed. Herwag.) et NORBERTVS, (vit. Bennoni. c. XVI. ap. ECCARD. T. II. p. 2172.) quorum clara testimonia oponenda sunt ridiculis persuasionibus illorum, qui poenae loco seruitutem quandam apud victores subiisse Saxones et iure proprii magistratus, dominique in fundis auitis priuatos fuisse, somniauerant. Longe alia certe Caroli instituta fuisse inde perspicimus, quod comites genere Saxones ipsis multos praefecit, et eorum ministerio in rebus grauiſ-

grauissimis vsus est, vt legimus in CHRON. MOISSAC.  
(A. 1000-1032.) FRAGM. CHR. NIBEL. SVBI. (ap.  
DU CHESNE T. II. p. 22.) IOA. DE ESSENDIA (Bibl.  
Goett. T. I. p. 48.) REGINONIS Chron. (A. 1000-  
x.-xi.-xii.-xv.) Sed de possessionibus Videchindi  
alia occasione et egimus, et agemus; nunc ad id redi-  
mus, cur de origine Comitum Vettinensium a Vide-  
chindo ante reperta plura monumenta antiquitatis  
dubitatum fuerit, quam tamen intra breve tempus  
ex idoneis documentis confirmabimus, vt alias cau-  
fas, specie non carentes, ita locum praesertim DIT-  
MARI (I. VI. p. 151. ed. Mader.) de Theodorico occa-  
sionem dedissem. Mirantur enim, si Theodorici genus  
ad Videchindum referendum sit, quid fuerit, quare  
Ditmarus non eodem modo, quo de Mattheilde Au-  
gusta scripsit, exortum fuisset *ex Widikindi regis tri-  
bu*, sed hic posuerit, originem duxisse *de tribu*, *quae  
Buzici dicitur et de patre Theodorico*, Dédonem. De-  
sinent primum hoc mirari, si cogitauerint, dolore  
commotum, ob infelicitatem Werinharii, sui patrue-  
lis, cuius causa fuerat maxima ex parte Dedo, Dit-  
marum haec scripsisse, tantumque abfuisse, vt nobil-  
itatem generis celebrandi occasionem captare vo-  
luerit, vt potius ignominiae recordationis causa  
mentionem rebellionis eius interseruerit; vt Rigda-  
go seruisset Marchioni, agnato, opprobrio det, quum  
tamen beneficia, seu verbo barbaro feuda, comitem  
a Marchione, cuius superior dignitas erat, accipere,  
nulli inter maiores ignominiae esset, vt vel superiore

ODGI

3

specim.

specim. XVIII. ostendimus; vt gemina cordis virtute ipsum polluisse inuidiose, et pro praesulis stomacho, ad duplicem per mare *Vlyssem* Horatii et Catulli *duplicem Amethuntiam*, curas dare solitam, pro sui aei eruditione respiciens, praedicet; vt originem generis per contemptum obscurare se posse speret, si tribum diceret, quae Buzici dicitur. Captationem occasionis contumeliam faciendi facile quisque animaduerterit. Leue est et indignum eruditione doctorum virorum, quod obiectatur, tribum Buzici respectum ad personam, non ad sedem cuiusdam familiae, ex vsu istius aei, quo nondum a laribus domesticis illustriores domus cognominatae fuerint, habere. Siquidem ex ipso DITMARO (l. II. p. 18. ed. Maderi) refutari praeiudicata opinio potest, quoniam ibi Sigfridum Comitem Merseburgensem celebrat, cuius tamen comitatum, detur venia verbo, quum hic post Bionem ad Dedonem deuolutum designare vellet, aliis longe indicis vtendum putauit, fede familiae alio translata. Nec grauius est, quod ECCARDVS arripuit ex hac errandi prona occasione. Vult *Buzici* duci a Burchardo quodam. Nos perlectis tot millibus diplomatum, vt alia medii aei monumenta studiose perlustrata taceamus, qualia publicata sunt, nondum in hunc diem offendimus ὑπονομισταν a Burchardo sic formatum vel semel; quum Burchardi Bussones vel Buccones, nisi vbi scribae aberrarunt, pro diuersa modulatione linguae, exarentur, et Buzones certe omnia vetusta monumenta igno-

ignorent. Praeterea, quum sciamus, quam negligenter REINECCIVS codicem Ditmari in archiis SERENISS. PRINCIPIS NOSTRI adhuc Dresdae superstitem exscripscerit, quam Reineccii itcuriam MADERVS tamen per omnia secutus est, et quantum is codex, notae sane antiquissimae atque proinde probissimae, ab ipsis diuersis lectionibus e codice Antuerpiensi LEIBNITIO, inde Ditmarum restituere IESVITARVM fide auso, discrepet, omittere hoc non possumus, ANNALISTAM SAXONEM, qui Ditmarum tot locis opportunissime adhibuit, et hoc loco certe ante oculos manifeste παραφεγμων habuit, (A.DCCCCXIX. p. 413. ap. ECCARD.) optimam lectionem suo in codice reperisse; Butzieci, quae quantum a scriptura Diplomatū Budzſico, Bodſetzo, et ad hoc genus reliqua differat, peritis diplomatum arbitris, Slauiae praesertim linguae non ignaris, aestimandam relinquimus. Sed enim ECCARDVS, et eius tam pertinaces adsectatores in hoc cum conuicio prope instant et morantur, ut dicunt, tribum medio aeuo semper ad stemma generis, nunquam ad sedem familiae, respexit, et locum e VITA S. GUTHLACI, ad quem a FRESNEO prolatum nonnulli prouocauerant, falso laudari. His in praefenti, donec maior res Theodorici, cui gloriam sanguinis Vindechindei adserum imus, opportunitas, breui, ut speramus obtrigerit, sic occurrimus, ut longe aliud, quam putassent, medio aeuo, vti adpellari vulgo solet, significasse vocem tribus ostendamus. SALOMO, Ep. Con-

LIBRUS STUTZERII MONAS STRATII



Constant. in Carm. ad Dadonem (ap. CANISIVM  
Antiq. Le&t. T. I.) scripsit:

*Sed mage mira putas, quod non sunt funditus omnes  
Et TRIBVS, et populi funesto Marte peremti etc.*

Principes partium Rudolphi, infelicissime qui imperium contra Henricum IV. adfectauerat, ad praefalem Romanum, quem tamen eruditissimum profecto non dubitauerant, scripserunt, apud ANNALISTAM SAXONEM, cuius auctoris utilitatem et fidem plerique parum aestimare norunt, (A. C. CICLXXIX.): *quod omnibus temporibus, populis, TRIBVBVS, linguis fuit peruum.* Ostendant nobis, qui ad familiae tantum vnicam personam semper nomen tribus vsu aeui medii referri posse contendunt, in his etiam locis suae opinioni constare rationem; et manus profecto lubentes porrigemus.

Aliud autem nunc est vobis, CIVES, indicandum. IOANNES CHRISTIANVS BORMANNVS, SS. Theol. cultor ornatissimus, vt Thilemanniana liberalitatis, qua fruitur, instituto satisfaciat, a. d. vi. Id. O&t. in auditorio maiori orationem habebit, demonstratus, doctores veteris ecclesiae non esse ambiguos testes Lutheranae de S. coena sententiae. Eum suae diligentiae fidem tam laudando conatu facturum, vt frequentes et beneuoli audire velitis, pro communium vos studiorum honore rogamus. P.P. Vitebergae a. d. vi. Id. O&t. A.R.S. CICICCLXV.

---

VITEBERGAE,  
LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

Thn 2972


ULB Halle  
007 441 851

3





B.I.G.



74

RECTOR  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
GEORGIVS  
FRIDERICVS  
KRAVS D  
DIGESTI VETERIS PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIVS CVRIAЕ PROVIN-  
CIALIS CONSISTORII ECCLESIASTICI  
SCABINATVS AC FACVLTATIS IVRI-  
DICAЕ ASSESSOR ITEMQE ORDINIS  
IVRIDICI H. T. DECANVS  
INSTITVTVM  
IOANNIS CHRISTIANI BORMANNI,  
BELGORA MISNICI S. S. TH. CVLTORIS  
ORATORIS PVBLICE  
MAIORI IN AVDITORIO  
A. D. VI. ID. OCTOBR. A. S. R. CICICCLXV.  
PRODIT VRI  
LEGI LIBERALITATIS THIELEMANNIANAE  
VT SATISFACIAT,  
C I V I B V S  
C O M M E N D A T .

Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen XXI. Saxoni-  
carum Originum XIII.